

Abraham Wall

De Vteri Gravidi Retroversione

Halae: Litteris Friderici Wilhelmi Hvndtii, [1782]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn886271916>

Druck Freier  Zugang



~~574~~

Uteri gravidi
retroverſio
et
non-gravidi.

Bücher-
speicher

UB Rostock
2010
A
326

1000

1000

~~W 2~~

Abb. 10

Gyn. A. 215.

DE ^{Stand-Nr. P 24 + V V}
V T E R I G R A V I D I
R E T R O V E R S I O N E .

DISSERTATIO INAUGVRALIS

QVAM

ILLVSTRIS ATQVE GRATIOSI ORDINIS MEDICI

CONSENSV

PRO

GRADV DOCTORIS MEDICINAE

LEGITIME CONSEQVENDO

AD D. XVIII. M. DEC. MDCCCLXXXII.

H. L. Q. S.

PVBICE DEFENDET

AVCTOR

ABRAHAMVS WALL

BEROLINAS.

H A L A E

LITTERIS FRIDERICI WILHELMI HVNDTIL

Inventarisierungs-Nr. 778

Bibliothek
d. Univ.-Frauenklinik
Rostock

Universitäts-
bibliothek
Rostock

2010 A 326

Geographie
Bücherei
Schulbibliothek
Rostock i. Meckl

V I R O
FAMA MVNERIBVS VIRTVTIBVS
FELICISSIMO ASCLEPIADEAE ARTIS EXERCITIO INSIGNI
PERILLVSTRI
EXPERIENTISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO
CHRISTIANO ANDREAE COTHENIO

MEDICINAE PER XLVSTRA DOCTORI
S. R. H. NOBILL ET COMITI PALATINO
MAGNO BORVSSORVM REGI
A CONSILLIS INTIMIS ET SANITATIS TVTELA
REGIORVM EXERCITVVM MEDICO PRIMARIO COLLEGII MEDICI
SVPREMI DECANO
COLLEGII MEDICI CHIRVRGICI ATQVE ACADEMIAE NATVRAE
CVRISORVM DIRECTORI
ACADEMIAE REGIAE SCIEN TIARVM BEROLINENSIS MEMBRO
HONORARIO
PARISIENSIS SOCIETATIS MEDICAE SOCIALI
COLLEGII SANITATIS ET INSTITVTI PAVPERVM CVRAM
GERENTIS ADSESSORI

PATRONO AC MAECENATI SVO
SYMMA REVERENTIA ET PIETATE AETERNVM
DEVENERANDO

TENTAMEN HOCCE MEDICVM

OBSTRACTISSIMVM SVVM ANIMVM

DECLARATVRVS.

SACRVM ESSE IVBET.

Christheringhans
Primarius Frauenklinik
an Leibnizuniversität
in Rostock i. Meckl.

A V C T O R.



PROOEMIUM.


Singularis omnino atque ominosae, quam adumbrandam suscepi, vteri affectionem, parum adhuc in Germania nostra inualuit notitia; rarae eaeque disseminatae in libris non vbique obuiis, occurrunt obseruationes; cuius tamen inter grauidas frequentiam, nec a periculo immunitatem, istae adeo descriptiones arguant, quarum sagax Britannia, paucorum fere annorum interuallo, vberiore numerum suppeditauit. Apud nostrates autem rariorem neque, nec aleae minus plenam ex eo iam dilucide fluere existimo, quod plus vnica vice per triennium in hac ipsa ciuitate decliuitas illa peculiaris vteri obuenerit. Stolidae vero plerumque mulierculae cum sibi arrogauerint grauiditatis, partusque prouinciam; morbique primordia cum facili negotio, natura etiam non perspecta, saepius superentur; palam mihi esse videtur, cur praestantissimorum etiam virorum facile fugere potuerit solertiam.

A


Quae

Quae cum ita sint, ex legum academicarum praescripto specimen quoddam inaugurale publico eruditorum examini nunc exhibiturus, inanem prorsus et superuacuum operam fuisse vix arbitror, si quotquot expiscari contigit vteri retrouersi documenta inter se conferendo, veram huius mali notionem, decursum, causas, signa, eique medendi methodum perpenderem. Coronidis vero loco duas eiusdem affectus historias, quas egregii et illustris — MECKELII eximio fauori debeo, subnectam.


Reliquum quod est, L. B. enixe rogo ne censorio supercilio nimis rigide leuidensem hanc opellam, praematuram necessitatis prolem, perstringas.



DISSER-



DISSERTATIO INAUGVRALIS
DE
VTERI GRAVIDI RETROVERSIONE.



§. I.

Operae pretium non esse censeo e libris tum veterum tum recentiorum obscura, ambigua, speciem retroversionis aliquam referentia venari, arripere, et in lucem producere. Multa quidem iam HIPPOCRATES de uteris e sede sua transmotis somniat. Vagum instar pilae in ventre oberantis eius motum variis locis ¹⁾ adstruit et nunc ad latera, nunc ad praecordia et ipsum caput, nunc ad pedes deuolui existimat. Diffiteri tamen nollem et in urinae meatus incumbentis ²⁾ et ad sedem conuersi fecesumque prohibentis ³⁾ occurrere indicia. Quanti vero, diui reliquorum morborum naturam interpretantis, in his facienda sit autoritas et multi iam suboluerunt et inde elucescit quod sua circa muliebria

A 2

manu

¹⁾ De natura mulier. De morb. mulier.

²⁾ T. II. p. 567. Edit. Foëll.

³⁾ T. II. 399. 567. etc.

manu, oculisque suis deprehensa, non referat; sed anilia sui aevi commenta, plebejarum ineptias credulus saepe recoquat. 4)

Pro sueto vero hominum more, quo in errorem, erroris fuga, ducuntur, vincula, a GALENO vtero 5), quae alacritatem ejusque excursiones inhiberent, injecta; ligamentorum dein nomine ab illo, quem praestant vel praestare videntur, vsu insignita; sensim in habenarum funiumque nauticarum similitudinem, mobilitatem fere omnem sufflaminantium, et quo minus in hanc vel illam partem declinaret, praepedientium, ex mera, quam de vinculis conceperant, opinione viri rei anatomicae parum periti, increuerunt. 6)

§. 2.

Recentior vero aetas utpote peniori fabricae corporis, fitus atque nexus partium amplificata cognitione nixa, in describendis vteri auiis veritati rerumque naturae studiosa magis, firmitudinem cum mobilitate quadam coniunctam, ex diuerso imprimis in quo sub gestatione reperitur situ statuit. Has matricis declinationes, obliquitatum nomine claras, scriptis BARTHOLINI Anatom. L. I. C. XTIII - XXIX. VOELTERI *Hebammen - Schule*. SENNERTI Pract. L. IV. P. II. S. VII. C. II. LAMOTTI L. III. C. I. MAURICAEI Malad. AMANDI etc. jam interspersas offendes.

Multus

4) V. ROEDERER Opusc. Caesalp. Merant.

5) de loc. affect. C. V.

6) V. KERKRING Spicil. Anat. Obs. XX. Deventer edit. d'Ablainc. T. I. P. 57.

Multus in ea re praesertim DEVENTERVS est, sedula solertique, qua vsus est indagine, in defectionum natura scrutanda, causis eruendis, signis adumbrandis, hanc disciplinam ferme suam reddidit. Ad rigorosae tamen rationis trutinam eam reuocauerunt recentiores, latitantia hinc inde vitia, praecipuae opinionis sobolem, expunxerunt atque eliminarunt, nouisque obseruationibus, repetitis saepius cadauerum incisionibus adornarunt et amplificarunt.

V. LEVRET, ROEDERER, STEIN, LE ROI, BAUDELOQUE etc.
vt ex multis nonnullos solummodo excitem.

§. 3.

Retroversionis vero nostrae vel nulla reperiuntur vestigia vel, si qua signa memorantur, quae huius praesentiam arguere solent, partim eiusmodi sunt vt ad quemlibet alium eodem jure transferri possint affectum, partim tam oscitanter recensita deprehendes, tam vigenti cuidam opinioni accommodata, vt aegritudinis naturam omnino non perspexisse auctores videantur. Inuestiganti mihi curiosius qui phoenomeni huius primi meminerint, vix hanc de inuentore disquisitionem altius quam a proximis aetatis nostrae annis repetere necesse fuit. Curatius, opportunitate sibi data, hanc vteri singularem complicationem rimari coepit, cumque erudito orbe communicare, vir, eruendo vero totam vitam impendens, oculatissimus Anglorum incisior ill. HVNTERVS. More vero viro solemnium qui, proprio splendore fulgens, sibi sumere, quae alieni sunt, contemnit, vterum retroversum

non sibi arrogauit inuentum, sed candide non minus quam aequae cl. GREGORIO parisiensi detecti retulit honorem. 7) Hunc itaque nobis inventorem salutare fas est, ut interim tamen obseruationem nullibi publici iuris fecerit, sed oblatum sibi retroversionis casum auditoribus in praedictionibus enarrauerit. His affidebat tunc temporis Parisiis commorans cl. WALTER WALL, ex quo dein comperit Hunterus similique casu non longe post Londini obuio ab eodem testis accersitus fuit et in pessime aegrae constitutis rebus opitulator. Tanti vero huius inuenti dignitatem fecit Hunterus, tantum inde in artem medicam non minus quam in humanum genus redundare emolumentum existimauit, ut statim artis peritorum coetum conuocauerit, iisque singulari hac et plane inaudita vteri affectione exposita, medendi rationem adstruxerit. Ut fieri solet, irriferunt et infirmarunt multi hanc obseruationem, donec cl. LYNN perfecta sectioneque anatomica instructa eiusdem retroversionis et sibi non longe post obuia historia, quam T. IV. Medic. obseru. and. inq. inseri curauit erroris suspicionem omnem detraxerit, et Icon Hunteri quam splendidis de vtero grauido tabulis adiunxit, ad maiorem certitudinis gradum prouexerit. Dein vero et pluries haec retroversio visa fuit et per plurimas varietates magis constituta, nec in Anglia solum a clarissimis viris HOOPER Med. obseru. and. in inquir. V. v. BIRD eodem loco. GARTHSCHORE Vol. VI. EVANS Med. Comment. by a Society of Edinb. Physicians Vol. VI. descripta, sed et a cl. SAXTORPH

7) v. Med. Obs. and. inquir. Vol. IV.

TORPH Collect. Havn. II. ROBERT Act. Soc. Med. Havn. II. van DOEVERN Obs. Academ. C. 7. WLTCZEK Diff. Praegae, WILlich v. RICHTER Bibl. Chir. T. V. WAITZ leod. loco ill. MECKEL in cas. annex. magis magisque confirmata.

§. 4.

Quid vero per vterum retrouersum intellectum velimus, id nostri negotii nunc esse putamus vt distincte inter nos nostrosque lectores constet. Situi organorum peruerso et alienato annumerari debet; istique deniationum generi quod cl. Callisen⁸⁾ *hysteroloxiae* nomine expressit, proxime accedit. Vterum, mobile viscus, impellentibus viribus facile cedens, nunc axi continuato, acutiorem cum horizonte angulum quam peluis axis intercipiente, fundo anteriora versus dirigi; nunc minus acutum effingente fundo versus thoracem ascendere; nunc axi vnum vel alterum os ilium respiciente, alteri horum ossium ostium obuerti, versus alterum fundum dirigi, et cadauerum incisiones docent, et obseruationes DEVENTERI, LEVRETI, ROEDERERI, STEINII etc. etc. satis superque tastatum faciunt. Secus vero se res habet in nostro affectu; non solum enim declinat vterus, sed fundus eius increfcens ossis sacri promontorio initio appressus, posteriorius dein inter vesicam et intestinum rectum, si vero maior vis accedat, inter hoc et vaginae tubum reflectitur, inque saccum istum quem peritonaei succingens membrana vaginam inter et rectum producit, dimittitur; corpore et
fundo

⁸⁾ v. Inst. Chirurg. p. §26.

fundo vteri iam nunc sacri offis cauo receptis. Sic vteri axis longitudinalis in semetipsum quasi conuolutus transuerso breuior euadit, nec in peluis cauum per ceruicem productus diuagatur; Angulus enim quem vterus huicque appensa vagina intercipit, qui, initio grauiditatis acutior, ob declivem penesque transuersalem vaginae situm⁹⁾, praefertim grauidate procedente, dum vterus magis ascendit, et expanditur, obtusus deprehenditur et intestinum rectum respiciens, nunc a situ suo longitudinali vteri axi abluidenti, vel acutus vel rectus pro retroversionis gradu animadvertitur, aut apice vel urethram ossaque innominata pertingens, vel fundo altius demerso, vesicae fundum incumbentem habet.

§. 5.

Diuerfa vero a diuersis autoribus haec vteri deuiatio sortita est nomina, Anglorum plurimi primum ab Huntero retrouersi vteri impositam denominationem retinuerunt. V. LYNNE, HOOPER, GARTHSCHORE etc. Herniam vteri alii compellarunt; retroflexum vterum vocauit SAXTORPH. Coll. Havn. et WLTZEK etc.; retrorsum et deorsum pressum, VAN DOEVERN; resupinum, retortum, reuolutum alii. Hanc de nominationum copiam facile erroribus ansam praebere iam animaduertit cl. LYNN et HUNTER. Plurimum vero refert tum ad euentum morbi recte diiudicandum, tum ad rite instituentem eius curationem, retrouersionem nostram ab aliis vteri affe-

⁹⁾ DEVENTER L. I. C. III. i. OVL. BURTON. System. pag. II.
HALLER. Elem. ROEDER.

affectionibus, cum quibus alit quasdam conuenientias, discernere; consultiſſimum itaque duximus nonnullas in medium producere, earumque discrimina paucis inuestigare.

§. 6.

Facile quippe cum simplici obliquitate vteri posteriori permutari posset, cuius iam in praecedentibus obiter notionem adstruximus; non saltem distinxit ab ea ill. Callisen. v. Institut. l. c. Qua vteri fundus vertebrarum columnae adpressus, et huius iter legens, ceruix ossium pubis margini allidit, urinae et scybalorum fontes aequae obstruuntur; externo vero abdominis peculiari tumore et habitu, laborioso respiritu, orificio vterino facile percontantibus digitis tractabili, tumoris vaginalis et intestinalis absentia, satis dignoscitur.

Neque etiam retrouersio vteri cum eiusdem inuersione confundenda; haec descensum inferioris segmenti vterini magis minusue notabilem et fundi vterini protrusionem per patulum eius orificium, denotat, partumque praecipitatum vel placentae ante spontaneam solutionem, vterique contractionem, radiorem attractionem, causas manifestas plerumque agnoscit.

Restat ut et a simplici vteri prolapsu, praesertim ab hysteroprofi sic dicta incompleta, discernamus. Quae tunc oritur, quando matrix, salua fundi sui ab orificio distantia, in vagi-

B

nam

nam descendit. Apertura vteri in naturali situ suo remanens, digito exploranti statim occurrit, eoque facile circumire potest.

Tum quoque multum interest vt et ab intorsione distinguatur, quae plerumque laterali placentae irradiationi v. LEVRET *Suite d'Observat.* vel ligamenti rotundi ab altera parte decurtationi et rigiditati v. CAMERARIUS *Experim. circa generat* originem debet, cumque inclinatione quadam coniuncta saepius reperitur. Pars fundi anterior hoc in casu, versus altervtrum latus ita dirigitur vt axis vteri transuersus ad peluis diametrum obliquam vel eius coniugatam plus minusue accedat. Orificii vterini, quod in vorticem vna abripitur, exploratione, tumore abdominis peculiari, manifestatur.

§. 7.

Dicendorum ordo nunc requirit, vt mutationum sub retroversione vteri in viscerum abdominalium nexu, proportionem, situ, adumbremus descriptionem, quoniam vero collatione cum istis, quae plerumque in graviditate contingere, solent, rectius perspiciuntur, haec proximo loco persequi satius existimo. Neuisquam vero expectanda erit integra et plena expositio, quae ex grauissimorum anatomicorum scriptis satis iam innotuit, nec plurimum nequidem nostrum feriret propositum; ea indigitare sufficiet quae necessaria, vt eo melius ingressum decurrere spatium queamus.

Inter

Inter illas, quae, graviditatis tempore, mutationibus variis obnoxiae sunt partes, vterus vtpote huic muneri obeundo praestitutus, prae caeteris eminet. Primis gestationis temporibus modo vix conspicuo; progrediente vero illa, vndique riuulis, tum ob irritationem humores allicientem, tum ob praeculas mensium scaturigines, magnam sanguinis copiam fundentibus, dilatatur et quasi inundatur tota eius substantia; laxior et spongiosus magis euadit firmus alioquin contextus; intacta interim ferme cervice relicta, corpus fundusque praesertim expanditur atque dilatatur, ita vt super tubarum exitum magnum arcum absoluat, illaeque inferiori loco videantur prodire. Fundo sic aucto, moleque placentae et embryonis qualicunque pondere a tergo urgente, ceruix in vaginam altius detruditur. Tertio vel quarto graviditatis mense, ocius modo, modo ferius, sensim de pelui maiora in dies incrementa sumens, vteri glomer ascendit secumque ceruicem et suam nunc iustitiam scenam abripit. Ceruicis nempe tunc stricta compages soluitur, mollior fit, orassiorque, nec teretem formam seruat, quae sensim deletur, vt nulla longitudo superfit, cumque vteri cauo ceruicis tubus confluat.

§. 8.

Situm tamen in statu naturali minime ad perpendicularum vesicam inter et intestinum rectum tuetur. Leuissimam ad dextrum latus decliuitatem iam animaduertit HYPOCRATES, ARISTOTELES, GALENVS etc. prolixè describit

MORGAGNI in Aduers. Anatom. IV. animadu. XXV. HALLER dlem. Phys. T. VII. et nuperi cl. viri LEROI Pratiq. des accouch. BAUDELOCQUE l' Art des accouch. ob coli finistri flexuram, ibique coaceruatas faeces stagnantesque flatus necessariam statuunt.

Nec tantum ad latus vergit vterus, sed facie sua antica planiore, conuexiore et crassiore postica, retrorsum paulo fundo inclinatur, ceruice vero antrorsum nutat. WINSLOW Exp. Anat. sa situation est oblique de sorte que le fond est en arriere et en haut, le Cou en deuant et en bas. v. quoque GUNTZ, HEVERMANN, HALLER etc.

§. 9.

Mole vero vteri in dies increfcente, sensim maiorem abdominis partem sibi sumit; quarto enim et quinto mense¹⁰⁾ ad uncias duas vel tres super os pubis se effert; mense septimo iam ad umbilicum pertingit; mense octauo ad scrobiculum cordis peruenit, vltimis dein ante partum hebdomadibus iterum descendit, quod vulgo subsidentiam vteri vocant. Huic vero immensae dilatationi opportunitatem dat et fabrica visceris et parietum, qui abdomen circumdant pro magna parte, mollitudo et peritonaei, quod intus succingit, natura tenax quidem at maximam distensionem admittens, et viscerum, quae isto sacco continentur, laxitas et mobilitas. Non enim hanc sibi magnam abdominis partem assumit vterus, quin

¹⁰⁾ SMELLIE, HALLER etc.

quin e sede sua ambientia viscera deturbet. Tenuia intestina, colon transuersum, ventriculum, hepatis concauae superficiei adprimit, Diaphragma simul cum hepate sursum protrudit, renum adiposae capsulae, coloque dextro et sinistro incumbit, vasa iliaca neruosque comprimit, intestinum rectum ad sacri parietem urget, omnemque fere aluinam excretionem sufflammat.

§. 10.

Vesicae praesertim infensum est vteri incrementum, pro arcta, quae inter haec viscera intercedit, cognatione, vix horum alterum mutationem aliquam subit quin et alterum in functione turbet, quippe adauctum vteri volumen, modo vesicae verticem ad pubis ossa adigit, magnitudinem angustat et incontinentiam vrinae creat; modo ceruici incumbit, vrethrae cauum obliterat et prorsus vrinae canalem obturat. Vrinae vero vis, immensum nonnumquam in modum, contrahendo imparem oramque ossium pubis vix pertingentem, glabulosam in sexu sequiori vesicam attollit. ¹¹⁾

Vix umquam quoque pristinam suam sedem retinet, qua, arcta cellulosa, planitiei posteriori mediulloque corporis pubis, quo faciecula modice caua pectinis ossa sibi respondent, adnectitur. Vesica vero, vtero, vi supra notauimus, dextrorsum nonnihil a coli sinistri flexura presso, oppositum latus, vrgente vteri massa, petere cogitur, fatisque frequenter sinistrorsum declinans, deprehenditur.

B 3

§. 11.

¹¹⁾ V. CHAPMANN. MIDWIFERY. PARSON. LEVRET. MAVRICEAV. LIEVTAVD. HALLER.

§. II.

His ita praetextis, proximum nunc est vt speciatim de vteri grauidi retrouersione agamus, sparsimque de hac re a variis autoribus proposita colligamus, inque certum ordinem disponamus. Sensim lentoque nonnisi gradu circumuolutiones vterinorum vasorum explicari, pederentim foetus officinam dilatari, augeri, demergi, erigi, superiori iam loco persecuti sumus. Perspicua inde erit ratio, quare primi fere a conceptione menses ab omni labe et molestia in dispositis etiam vacent, luculenterque pater lente vtiq; retrouersionem nostram succedere, nullisque eam praenunciantibus signis subrepere. Tertio vero ¹²⁾ vel quarto ¹³⁾ vel quinto ¹⁴⁾ denique graviditatis mense, prout vterus citius vel tardius de peluis cauo exitum meditans in eius marginem impegerit, vel morbi initia occultius praeterlapsa fuerint, vel causae occasionales ocius ingruerint et ex improviso quasi fundum reclinauerint; calamitatum agmen sic fere progredi solet.

Segnius statim fit vrinae profluuium, difficultas sensim suboritur, nec, nisi pauca sub continuo ad excernendum stimulo, summa virium contentione, cum ardore et stranguria redditur, et potissimum tunc saturate tincta, crassa cum copioso sedimento, vel sanguinolenta, immo et purulenta cum

¹²⁾ GARTHSHORE. HOOPER. BIRD.

¹³⁾ SAXTORPH. GARTHSHORE. HOOPER.

¹⁴⁾ V. ill. MECKEL l. l. SAXTORPH.

cum carunculis et membranulis exiguis: (foetid lumps ref-
sem blings the contents of an encysted tumour)¹⁵⁾ tandem
vrinae riuulus opilatur. Alius interea rara esse solet,
dein obstipata firmiterque clausa nec nisi inuoluntarie, sub
insigni vrinam emittendi conatu, parum excrementii, duri-
globulosi, foetidi, scybalorum in modum, identidem ex-
torquetur.

Hypogastrica regio, torusque abdominis ambitus ten-
sus, turgidus, tympaniticus, expansus, apprehenditur,
ad attractum dolet, limitesque vesicae ad umbilicum nonnum-
quam productae, vterumque ipsum mentientis, in anteriori
parte satis manifeste refert; Ani orificium, et interfoemi-
neum inflatur, distenditur, coccyxque repellitur. Genitalia
calent, sanguine madent, externa saepe retrahuntur, pa-
rumper eminent.

Interim dolores oboriuntur imam peluim initio infe-
stantes, progressu temporis ad vesicam, renes, umbilicum
pertingentes, inguina tandem, femora, lumbos, dorsum,
totumque abdomen inuadentes, dilacerantesque, ad vlti-
mum crudelissimi, deliriis stipati subinde ferocissimis. Ple-
rumque haec comitari solent anxietas praecordiorum, in-
quietudo, vigilia, respiratio cita, laboriosa, pectoris op-
pressio, nausea, vomitus, extremorum frigus, reliqua.
Febris in peiori morbi statu nunquam fere non adiungitur,

con-

¹⁵⁾ GARTHSHORE l.l.

continua cum pulsu statim duro, spastico, citato, fat magno; obscuro dein, paruo, frequenti, molli, cito fat vires carnemque depascente.

Exploratione vaginali instituta, in posteriori vaginae pariete, quo rectum respicit et sacri curuaturam, tumor occurrit modo maior, modo minor, renitens, tensus, durus, immobilis, rotundus, vaginam antrorsum propellens, pone eam haerens, ad perinaeum nonnumquam dilapsus, totam peluim subinde implens, a corporis situ vario nullam reductionem admittens. Supra Symphyfin ossium pubis inter marginem posteriorem et tumorem pone vaginam haerentem, altius digito immisso, cavitates adeste solet, nec vllum orificii vterini vestigium, eodem vero sic directo vt dorsum symphyfi, volaris manus pars vtero obuertatur, apex valide suppinetur et pectinis marginem legat magna cum difficultate, ad orificium vterinum retro et paulo supra symphyfin haerens penetrat. Nonnumquam vero irrita plane exploratio est, orificii vltra symphyfin euecti, subque fundum vesicae reconditi, situs indagari nequit. Eundem glomerem elasticum, renitentem, ad sacrum os adactum, rectum intestinum comprimentem, eiusque parietis anteriori incumbentem, exhibet intestinalis exploratio.

§. 12.

Plurimum vero interest vt tres potissimum annotentur retroersionis gradus, quorum leuissimus periculi fere

fere expers ad prolapsum vteri simplicem natura sua magis accedit, HVNTER, COMBE aliique. Plerumque tunc oriri solet quando fundus vteri quidem oppositam sacri prominentiam offendit, leuiterque retrahitur, orificium vero vteri in naturali situ fere remanet nec a vesica sursum aufertur, protuberantia inferioris segmenti vterini in vaginam demissa. Alter gradus retrouersio incompleta vel semiretrouersio dici posset (partially or half retroverted uterus) in quo altius reuoluitur et demergitur fundus, ita tamen vt ultra pubis oram non prouehatur ceruix, sed os vteri sub osse pubis recondatur. V. ROBERT. HVNTER, GARTHSHORE, WLTZEK. Summus vero et grauissimus gradus completa retrouersio audit (full retroversion). Distensa valde et in abdomen assurgens vesica ceruicem vteri simul euehit, eamque altissimo in loco collocat, fundum vero ad anum et perinaeum vsque deuoluit. HVNTER.

§. 13.

Solemnes maxime huius morbi exitus, si rerum summa penes naturae vires stet, nec medica manus tempestiue suppetias ferat; et tristes semper sunt foetuique lethifici, et matri ipsi exitiales nonnumquam euadunt.

Perspecta enim retroversionis vterinae natura, ac peculiari sacri ossis eique impositi et supereminentis promontorii structura, liquido patet incrementem vteri molem, embryonis adauctum volumen, sibimet ipsi repositionis

C

omnem

omnem viam praecludere, lentumque, at certum grauidae fruere periculum. Quid enim? amnii liquore vndique circumfuso libere innatans embryo, parum initio ergastuli sui deviatione laeditur, vitalem liquorem placenta, spongioso ac molli vteri velamento defensa, fereque incolumis, iugiter defert; fouetur, nutritur et magis magisque increfcit foetus. Distensus vero vterus, omne quod superest in pelui minori spatium, quique patent sinus et scrobiculos in toto ambitu subit, a circumiacentibus visceribus deprimitur et in claustrum impingitur; suscipit nempe ipsum atque recondit altum sacri ossis curuamen, ischii vtriusque nec non pubis superficies interna, incumbit vesicae rurgidus vter et intestinorum a foecibus et flatibus cohibitis distentorum ingentes maeandri. In isto specu incuneatus quasi detineretur, nulla nunc arte extricabilis, immo post mortem, dissecta pubis symphyssi, totaque manu vaginae immissa, vix e loco mouetur, et antiquam suam sedem repetit ¹⁶⁾; superioris enim peluis aperturae angustia, tantae moli transmittendae plane impar, insuperabilem ipsi obicem obiicit, diductionem nunc totius peluis compaginis molituro, ni certa adrepens mors vitam prius praecideret.

Matris salutem prouida magis consulit natura, dum, ante sui perfectionem, foetum e nido praepropere excutit ¹⁷⁾, quodque facile obtinet modo a graui ipsi incumbente vesicae pondere

¹⁶⁾ W. HUNTER. SAXTORPE.

¹⁷⁾ LYNN L.C. SAXTORPE LL. GARTHSHORE L.C.

pondere liberetur uterus, siue per naturales meatus elabatur lotium, siue per insolentes vias eliciatur. Eo enim onere leuatus, quo tanquam sarcina quadam premebatur, vel mole minor adhuc, de peluis cauo resilit fundus, vel maior iam, nullius amplius mobilitatis compos, in sui distensionem, qua data porta, nititur, at aequabili neququam vi, sensimque id viscus extenditur, sed partialis, illaque accelerata oritur fibrarum distensio; nimirum anteriorem paginam collumque obsidentes, remoto obstaculo, humorum affluxu mollescunt, urgente intus vi dilatantur. Adde nunc quam omnia contusa, attrita, ad spasmodicas stricturas proritata sint, tum a circumiecto aspero osseo seipimento, tum a contorta vteri sensili substantia, tum a vicinarum partium distractione, quam facile secundinae, allisiones has non impune ferentes, vteri parietibus euellantur, quam acerrimo doloris sensu, quam intolerabili summe sensilium in pelui contentarum partium lincinatione, ad nixus edendos infelix cogatur grauida, et habebis rationum satis, quare abortus hoc in casu per saepe contingat.

Sin vero abortus insequi nequeat ob causam ischuriae pertinacioris, nouus quotidie ex sanis renibus per parulos propulsus vretes vrinae comneatus, in immensum follera laxam, conicamque cystidem prolatat atque distendit; fibrarum, quo circumdatur, textus aequabili modo distendenti fluido elastico obsequi et cedere cogitur, rariores fiunt fasciculorum intercapedines, laxior eorum cohaesio, omnisque

abolitur renifus. Tutamine tamen peritonaei, qua maximum est rupturae periculum, qua tenuiora fibrarum strata, qua nullo coercetur ossæo repagulo, nulloque musculorum abdominalium statumine, defensa, hanc quoque violentiam eluderet; ni urinae in vesica sua diutius stagnantis acrimonia, aquosarum, quas continet, particularum resorbatio, sensilioris visceris ingens et dolorosa distractio, vehementissimam inflammationem, mox in gangraenam et sphacelum abituram, induceret. Oborto vero illo dissilit, tunicis erosis, urinae receptaculum, inter summos cruciatus, mox a ruptura subito remittentes, in peritonaei cauum effunditur acris atque corruptus humor, innundantur imi ventris viscera, postque abortum et tunc quidem consecutum nonnumquam¹⁸⁾, proxime instans ineluctabilis puerperae mors; abdomen quippe mollescit, dolores subito cessant, quietior redditur et per aliquot horas bene se habet; mox vero pulsus intermittit, foetidissimum halitum eructant genitalia, summa succedit virium prostratio, et ea tandem succumbit ratione, qua, qui sphacelo absumuntur, solent decedere.

§. 14.

Perlustramus nunc quae retroversione vterina demortuarum exhibuit anatome, quam fusius in Spec. Obs. Acad. C. 7. exposuit cl. VAN DOEVERN, nitideque ad naturam depingi curavit ill. HUNTER. Aperto abdominis cauo mox in conspectum prodibat vesica vrinaria, vterum gravidum simulans,

¹⁸⁾ V. LYNN l.c. SAXTORPH l.c. HUNTER l.c.

lans; quum in formam oualem expansa ascenderet circiter ad umbilici altitudinem, seu sex pollices supra symphyfin. A parte sua anteriori peritoneo destituta, ope substantiae cellulosae accreuerat nudis musculis abdominalibus; a quibus peritoneum, ascensu vesicae sursum tractum, erat separatum. Integra quamdiu erat integebat totum vterum, ut supra huius fundum multum omnino ascenderet. Aperta dein et euacuata immensa urinae copia, intus hinc inde parum inflammata, crassitiem suarum membranarum vtriusque discentarum exhibebat tantam, quae facile lineam pollicis aequaret.

Viscera abdominalia a tumente vesica e situ suo naturali erant depulsa. Omentum erat totum versus superiorem abdominis regionem replicatum. Hepar maxime ad thoracis cauum ascendens, vix margine suo inferiore infra costas conspicuum, ventriculus valde sursum adactus, hepate et colo intestino reconditus, intestina tenuina sursum et retrorsum pressa, crassa flatibus et foecibus maxime tumida, insigni altitudine versus thoracem eleuata erant ¹⁹⁾.

Dissimilis longe erat rationis a cl. LYNN ET SAXTORPH. III. instituta sectio; Dissectis enim abdominis integumentis, magna liquoris copia, X libris aequalis, colore et odore urinam referentis, effluxit. Tenuia intestina leuiter a situ recesserant; crassis sede naturali obuiis, vtraque vero inflama,

C 3

¹⁹⁾ VAN DOEVERN.

mata, multis in locis siederata et penitus corrupta erant. Vesica vrinaria erat flaccida, connuens, iusto amplior, gangraenosa, in posteriori parte disrupta.

Vt cunque vero haec sese habeant; vteri talis plerumque situs plus minusue obtinuit, vt fundus, qui quarto mense vltra symphyseos oram eminere solet, maxime depressus fuerit, ideoque solito minus protuberarit antrorsum, figuramque acquisierit multo planiorem, antica superficie superiori et posteriori facta, postica antrorsum et deorsum spectante; sicque ad partem peluis imam dilapsus in peritonaei plicam, vaginam inter et rectum, decubuerit. Tubae Falloppianae, solito quidem loco ab vtero secedentes, ita tamen sitae erant, vt ex retroversionis natura futurum esse facile intelligendum esset, fimbriato scilicet extremo sursum raptro, vterino vna cum vteri corpore deorsum et retrorsum reclinato.

Vesica per medium diuisa, tumor vniuersam peluim occupans, vesicae fundum eleuabat, inciso vero fundo, et anteriori vaginae pariete, os vteri in conspectum venit pone situm et paulo elatius, quam pars superior symphyseos ossium pubis HUNTER. Ossibus vero pubis appressam vteri ceruicem obseruauerunt. ROBERT, WLTZKE, SACTORPH etc.

Vtero dein e cadauere exsecto, rota peluis cavitatis erat amplissima, illa enim quae inter ossa pubis et sacrum est distantia

stantia quatuor pollicum cum nouem lineis erat, licet etiam superior ossis sacri pars, insigniter intra peluis cauum promineret, ideoque, reliquarum eius dimensionum ratione considerata, haec reliquis minor esset.

Vterus ipse singulari plane figura conspicuus, quae enim solet esse oualis, ut a suo orificio inferius posito, ad fundum sensim capacior euadat, sicque axin longitudinalem habeat multo excedentem illum, qui transuersalis est, in hoc casu fere rotunda erat, lateribus parum compressis. Orificium occupabat circiter mediam anteriorem partem (retroversionem nempe partialem describit VAN DOEVERN,) ut fere tanta portio regionis vteri posterioris infra illud descenderet quanta pars regionis anterioris et fundi supra illud conspiceretur. Unde forma naturalis tantopere mutata erat ut maxima dimensio daretur inter partem eius anteriorem et posteriorem, septemque pollices aequaret, cum distantia fundi ab orificio sex tantum pollicum esset: hinc quoque vteri totius ambitus maior fuit, ubi mensura instituebatur iuxta faciem anteriorem et posteriorem, quam iuxta fundum, orificiumque. Prior quippe octodecim, posterior septemdecim pollicum obseruabatur.

§. 15.

Qua vero causarum vi, insignis haec et violenta fundi vterini replicatio contingat, non iniucunda disquisitio erit,
nec

nec fructu in curationem redundante vacabit scrutinium. Pugnare enim cum pelvis ossae conformatione, partiumque structura et dispositione videtur, quippe si quis consideret prominentiam sacralem inter et pectinis ossa intercedentem distantiam, urinae cystidis et intestini recti prouincias, vteri peculiarem situm, eiusque cum adiacentibus partibus firmiorem coniunctionem, ligamentorum, quae fortitus est, dignitatem et peritonaei ad vteri corpus multifariam complicati diffusionem, vix quidem hanc retroversionem statuet. Sciat vero causam non vnicam neque leuem ad inducendum hoc malum satis habere ponderis, sed plurium et grauissimarum conspirationem requiri. Illarum vero vt expeditior sit disquisitio, in occasionales diuidimus et praedisponentes.

Principem inter has locum sibi vindicat pelvis aperturae superioris s. *introitus* angustia. ²¹⁾ Multiplices in pelvis limitibus obuersari varietates discors ipsam de pelui perfecta autorum iudicium suspicari licet; cl. enim TITSING 5. 6. ROEDERER $5\frac{1}{2}$, BURTON $5\frac{1}{2}$, WIND $5\frac{1}{8}$, SMELLIE $5\frac{1}{4}$, CAMPER $5\frac{1}{2}$, 6. DELEVRY 5. BAUDELOCQVE 5. pollicum paris. vulgarem maxime diametri transuersae mensuram in apertura superiori adstruunt. Coniugatam vero TITSING $4\frac{1}{2}$ 5. ROEDERER $4\frac{1}{2}$, BURTON $4\frac{1}{4}$, WIND $4\frac{3}{4}$, SMELLIE $4\frac{1}{4}$, CAMPER $4\frac{1}{4}$, DELEVRY 4, BAUDELOCQVE 4. pollicum faciunt. Omnes tamen vno quasi ore fatentur ablusiones infinitas pene numero occurrere, deque vitiata pelvis conformatione plenissimi sunt principum

in

²¹⁾ V. HUNTER l. l.

in arte obstetricia virorum libri, idemque euincit quotidiana in theatris et museis anatomicis experientia. Tametsi vero dira quaelibet peluis angustia grauidae et parturienti inala pariat, non quaelibet tamen retroersioni generandae aequae accommodata est, illam praesertim reformidandam censeo, quae longiori promontorii sacralis projectione, vertebrarumque lumbalium insigniori incuruatione et in abdominis cauum propensione, absoluitur. Ascendenti enim (v. supr.) tertio vel quarto mense vtero porrectus sacri scopulus obstat; altiolem, commodioremque sedem petentem retinet, et ad incuruationem sollicitat.

§. 16.

Tutiolem vero atque faciliorem reclinacioni viam ster-
nit, cum aperturae superioris angustia, coniuncta nimia ipsius peluis caui amplitudo, sacriue ossis longa atque excavatio v. HVNTER, SAXTORPH, ill. MECKEL, VAN DOE-
VERN l. l. etc. quippe in quam, fundus vteri initio prominenti tuberi appressus, sensim dein retrorsum atque deorsum gliscat. Flocci plerique aurores huius dimensiones fecerunt, de inferiori et superiori hiatu praesertim solliciti, nullasque inde progerminare grauidae et parturienti molestias sibi sunt persuasi, modo ita comparatum sit vt foetui viam non intercludat. Nihilo tamen fecius, incidunt casus, vbi et maior peluis, quam par sit, capacitas officit, quorsum hic noster pertinet. Denegata enim incrementi vtero, ex arctiori caui ambitu, retroersionis opportunitate, a plano
D magis

magis et perpendiculari sacri tractu, versus symphyfin adigeretur sicque oppositum promontorium superaret. Nunc vero, in eam rapitur partem, qua causae occasionales vrgent, qua vacuum spatium allicit, qua aliquam, a prima iam conformatione, propensionem nactus est, retrorsum puta, inque profundum sacri sinum decumbit.

§. 17.

Neque tamen omnem in peruersam peluis structuram coniciendam censeo culpam; est et mollibus quoque partibus in praedispositione inducenda sua vis. Fauet enim, momente iam HVNTERO l. c. pinguedinis in pelui defectus, raro, si vel unquam, obeso, crassoque corpore instructas, hoc morbo laborasse obseruat, et macilentum quoque corporis habitum aegrae, cui subuenit, memorat ROBERT aliique. Nec est cur demiremur, adeps enim musculis, visceribus, intestino recto praesertim, vaginae tubo, vesicae, obturatoribus internis circumfusus, peritoneo in expansione sua plurimus subiectus, cauum peluis angustat et firmitatem aliquam visceribus conciliat, quae, intercapedine ista abolita, culcitraque detracta, liberius in ampla ac spatiosa peluis specu fluctuant.

Huc referri insuper debet fibrarum vteri tonus vel robur deiectus, ligamentorum imbecillitas, partiumque laxitas et debilitas. Potissimum enim huic malo obnoxiae sunt foeminae tenerioris, mollioris, sensibilibioris habitus, cachecticae, delicatioris constitutionis V. LYNN, EVANS,
GART-

GARTSCHORE, I. I. C. C. saepius partum iam enixae V. EVANS, GARTSCHORE, LYNN, WAITZ etc. prolapsus abortusque perpeffae, V. LYNN, ROBERT etc. a quibus magna vtero conciliatur imbecillitas, nimiaque vasorum distensio et relaxatio oritur.

§. 18.

Singularem cervicis vterinae fabricam accusat cl. WLTZECK I. I. quam in foemina, hoc morbo extincta, incisione cadaueris detexit. Cervix scilicet, duos conos truncatos, basibus sibi in medio iunctos, referens, pollicarem mensuram vix superans, in isto cadauere longissima erat, adque acutissimum angulum complicata; hanc vero cervicis elongationem non utpote causam, sed ut effectum retroflexi vteri agnoscit grauissimus in ea re iudex ill. Archiater RICHTERVS in Bibl. chirurg. T. IV. quippe si vteri corpus prope cervicem incuruatur, uti in casu a cl. WLTZECK memorato contigit, cervicisque in vaginam prominens conus, a pubis margine retundatur; prolongetur necesse est pars, quae summam a mole vteri extensionem experitur,

§. 19.

Haec de proegumenis, restat ut et occasionales causas perpendamus, has vero omnes atque singulas persequi, leves cum saepe nostrum affectum prouocare valeant, longum nimis foret et superfluum, illas solum modo in medium producemus, de quibus fida certaue obseruatione constat.

D 2

Huc

Huc pertinet ipsa vteri grauidi moles, hanc primam, so-
lamque saepe retroersionis genitricem agnoscit cl. HUN-
TERVS l. c. when the lower part of the pelvis is very ca-
pacious and especially when there is little adeps to fill it up,
the enlarged vterus in the second and thirs months, will oc-
cupy the lower part principally of such pelvis etc. — de-
que incrementis vteri ad sacrum os 3. l. 4. Mense allisione,
et nos quoque iam supra egimus v. §. Num vero hy-
drops, polypus, scirrhus vteri, Ouarii vitia varia, ad retro-
ersionem ingenerandam minus apta sint, experientia non-
dum confirmatum est, licet rerum natura non refragari vi-
deatur. Ill. quidem D. WILlich, v. RICHTER, Bibl.
chir. T. V. in casu quem describit ex aegrae tum testimo-
nio tum propria coniectura ad grauiditatis absentiam conii-
ciendam adductus fuit, errorem vero mox in monito, eidem
fasciculo appenso, agnouit, inque tertio gestationis mense,
runc temporis aegram constitutam fuisse subsequens partus
declarauit.

§. 20.

Non minus per obseruationes in comperto est, ini-
quam placentae irradicationem, ita vt obliquitati vterinae, sic
et retroersioni originem praebere; cl. enim SAXTORPH l. c.
aliique paginae vteri posteriori adnexas in tali casu secundi-
nas offenderunt. In eo vero eum cl. LEVRETI L'endroit
ou se trouue attachè le placenta ne peut s'etendre autant que
les autres endroits et c. SVIT, D'OBS. p. 106. opinio fefel-
lisse videtur, quod superficiei, cui iuserta est placenta, dilata-
tionis

tionis in grauiditate parum concedat, contractaeque paginae posteriori reclinandi et retrahendi fundum facultatem impertiatur. Sic enim habet: vitiosa placentae irradicatio non in fundo, sed in certa vteri superficie obliquitatem quam saepissime inducit, dum scilicet illa pars vteri, cui sese irradicat placenta, crassior fit et in relatione ad reliquas partes minus extenditur, quo tempore irradicationi oppositus locus magis expanditur et attenuatur — Contracta superficies posterior vteri fundum retrahit, maiorque peluis capacitas eundem retroflexum capit. Cui tamen SAXTORPHII opinioni ocularis experientia, phaenomena grauiditatis et autoritas aliorum virorum repugnant. Quin vero pondus placentae, primis gestationis mensibus, pro vteri volumine, praesertim conspicuum, maior in ista parte humorum affluxus, sublatum exinde aequilibrium, magis ad retroversionem conferat, autoritate P. A. BOEHMERI v. Diff. de situ vteri grauidi per regulas machanicas, ipsiusque LEVRETI si placenta est éloigné du centre de la voute, il entraîne l'uterus du même coté par les loix de la grauité des corps. SVITE D'OBS. p. 154. suffultus, nullus dubito.

§. 21.

Quaecunque porro causae, quae intestina, ventris specum ambientia viscera ad imam peluis regionem vrgent, vterumque, suapte retrorsum nonnihil inclinantem, (v. supra) deprimunt, situm obliquum peruertere, nostramque retroversionem ingenere valent. Quarum numerum subit, vberior in vesicae urinae accumulatio, grauidis initio ex causis supra recensitis

praesertim familiaris. Tres, quatuor, quique, sex, octo, nouem lotii libras, ab excitatis iam saepius autoribus catheterre simul eductas fuisse lego. Multo vero lotio distenta vesica peluim totam occupat, in abdomen adfurgit, secum vteri ceruicem, quacum lata peritonaei ad os fere internum diffusi productione coniungitur, sursum rapit, ultra Symphyfin nonnumquam euehit, fundumque vteri et eleuatione ceruicis demergit et pondere proculcat. Vt vero extenditur, ita ad lotii egestionem stimulat, obtemperans aegra ingentibus nixibus depressoriis, vi diaphragmatis deorsum deducti, vrinam exprimere studet; Tam parum vero haec conamina succedunt, vt in peius potius ruant omnia, scilicet, pleni abdominis viscera, quibus pariter contracti imi ventris musculi resistunt, vesicam comprimunt, subiectumque vterum magis magisque pessumdant.

Haud dispar ratio atque effectus est aliarum causarum, vti pertinacis alui obstipationis, aerumnosae ventris depositionis, HVNTER etc. vomitus violenti WILlich, elevationis atque gestationis grauioris oneris HOOPER, pultrae incoetae, flatibusque distentorum intestinorum ROBERT, grauium animi commotionum HVNTER, HOOPER, WILlich etc. etc. — quae contractiones validissimas in musculosis partibus progignunt, subitaneum et violentum diaphragmatis descensum, allisiones et conquassationes viscerum producunt, et inclinatum vterum reuoluunt atque retrudunt.

§. 22.

Quid quod? ipsa denique epidemica constitutio, vt alias praeternaturales partus inducit, retroversioni nonnunquam ansam suppeditasse videtur. Infelices partus, abortusque ab hac causa pendere, haud obscure ex Hippocrate iam elucet Sect. III. Aphor. 12. breuioris temporis cancellis vteri retroversio in Anglia latissime incedens, aliasque regiones non minus crebro peragrans, idem fere suadet. Quod aurem reuera epidemici quid in partibus obtineat, adque sedem placentae multum faciat, ea de re elegantem observationem habet SAXTORPH l. I. Peruoluens diaria puerperarum, quibus parturientibus adstiti, non possum summopere admirari conuenientiam, quae inter laboriosos per aliquem temporis tractum crebrius solito incedentes partus obtinet. Menses integri praeteriere saepius, in quibus nec vidi, nec vocatus fui, nisi ad dissimiles et sui generis partus. Dum e contrario accidit, vt alio tempore in vna eademque hebdomade, partus obseruauerim plures eiusdemque speciei ad determinatum tempus quasi conspirantes. Possuntne existere generales et externae satis valentes causae, quae tempore conceptionis, in grauiditatem et insequentem partum agant, quemadmodum dominantes interdum experimur causas morborum epidemiorum.

§. 23.

Quod ad curationem attinet, paucis eam leuiter perstringam, ne ea fastidiose recoquam, quae in cas. annex.

fuse

fuse dilucideque exposita sunt. Duabus potissimum indicationibus absolvitur, quarum est prima ut impedimenta arceantur, quae repositioni moram afferunt, altera, ut quanto ocius nativum in situm restituantur, firmeturque vterus.

Priori indicationi ut satis fiat, vesicae et alui instituenda est euacuatio, insigne semper praestat leuamen, immo si malum nondum radices egerit, ultro e pelvis cauo, vrina detracta, resilit fundus vteri. At aluus neutiquam acribus purgantibus sollicitanda, quae tumultus mouent, magnasque perturbationes in abdomine ciunt, malum exacerbant, nec ventrem referare valent LYNN, HOOPER, GARTHSHORE, sed clysmatibus, emollientibus, anodinis, salinis, fortu partium, lapideae faeces soluendae, spasmi mitigandi, tensae praeter modum partes relaxandae, laesitiaeque demulcendae, placide et sic aluus subducenda.

Catheteris in vesicam immissio alioquin facili negotio in foeminis peragitur, retroversione tamen vterina oborta, magnis nonnunquam implicita et circumsepta est difficultatibus, saepe enim vrinae meatus, vesica ipsa, vicinisque partibus a reclinato vtero distractis, (§.) de recta via aberrat, vel vteri tumor adeo cervicem vesicae aut vrethram ad pubis ossa vrget, fortiter comprimit, eamque ita angustat et delet ut catheter omnino canalem permeare nequeat. Priori in casu flexilem algaliam laudant nonnulli; peculiarem in altero encheiresin extollunt cl. GARTHSHORE et WIL- LICH l. l. duos nempe digitos in vaginam demittunt, his- que

que vaginalem tumorem ad sacri curvaturam repellunt; vteri pressu in urinae viam depulso, sponte nonnunquam lotium e vesica profilit vel commode satis catheter medius in digitorum a se inuicem parum remotorum interstitio, meatum subit, adque vesicam libere decurrit.

Incautum vero adhibito et hoc artificio, symptomatibus valde urgentibus, ad vesicae paracenthesin confugiendum esse censet cl. LYNN. Vagina autem, vrethra, perinaeo, intestino recto, tumore vterino obsessis, hypogastrii solum pertusio superest, quae aliquam saltem prosperi successus spem indicere possit; quislibet vero vel leuiter in chirurgicis versatus non nescit, quam dubia et anceps urinae per hanc viam detractio sit.

Urina vero exantlata, reductio statim instituat. Aegra cubitibus nixa, capite demisso, levata pelui, thorace depresso, cruribus diuaticatis, genibus in lecti limine insistat; quo facto intestina, et viscera abdominalia diaphragma versus deuoluunt, vterus pondere suo iam nunc ad naturalem situm vergit, sacri sinum relinquit, immo sponte natuum situm repetit. Ipsa repositio instituitur retrudendo fundum vterinum, vno vel pluribus digitis ano vel vaginae immisissis, ita tamen vt non solum sursum digitorum apicibus propellatur fundus, sacri enim prominentiam offenderet, sed ad latus leuiter retrahatur, versusque umbilicum vrgeatur. v. RICHTER, WILlich, WAITZ. Parum omnino ad repositionem videtur conferre cervicis vterinae depressio, quae
E
saepe

saepe est irrita et superuacanea; fundo enim in situm re-
fituro, sponte descendit ceruix; nonnunquam violentiam
dum infert, abortum accelerat, vel inflammationem, alia-
que mala parit.

Sin vero, morbo inueterato, vterus immobilis hae-
reat, cauoque peluis impactus fuerit. §. 13. Symphyseos
pubis sectionem, nostris temporibus adeo decantatam,
adhibendam esse arbitratur ck. PURCELL Medic. and Phi-
los. Comment. by a Soc. in Edinb. T. VI. Eundem in fi-
nem perforationem vteri tentari iubet HUNTER. 1. 1.

Reductarum, in situ suo partium retentio, cauta cau-
farum remotarum ablatione peragitur; summa corporis et
animi quiete, in abdomen vel latus protracto decubitu,
vrinae et faecum assidua depositione, clysmatum et cathete-
ris liberaliori vsu, pessario denique vel spongia in vaginam
introducta, recursus mali auerruncatur, qui progressu tem-
poris, ipsa vteri mole et situ aboletur prorsus.

Pro-

Promissis meis Vestrisque votis satisfactorus, obseruationes, L. B. vobis sisto, non minus ad historiam morbi illustrandam, quam ad eius medelam rite instituendam plurimum conferentes, a clariss. MECKELIO mihi et humanissime suppeditatas, in meam ipsius vtilitatem, publicumque commodum vt conuerterem. Tanti nominis splendorem in opusculi, qualecunque sit, mei fauorem abiturum esse spero, immo confido. En morbi historias mecum ab ipso communicatas!

CASVS I.

Fœmina primipara, circa tertium grauiditatis mensem, primo difficilem vrinae excretionem, dein planam eius suppressionem cum tardiori alui exoneratione, mox plane subsistente, experta, medicorum suasu, nimia iterataque rhedae concussionem, enematis, remediisque leniter laxantibus, malo mederi tentauit. Quibus per quatuor hebdomades saepius reuocatis nihil, nisi quoddam excretionum leuamem contigit. Hisce pertaesa adiit obstetrices, quae quotidie repellendo ad posteriora, quem inuersum aut prolapsum habent, vterum, vrinae meatum a pressione liberant, et ita, per duas septimanas vrinae effluxum adiuvant, continuo clysmatum vsu aluum referante. Perdurantibus vero molestiis accedit dolorifica peluis partium distensio, pertinaxque vrinae et alui retentio; tandem

dem consilium meum sollicitat. Symptomatum enarratione ab ipsa nobilissima aegrotante facta, nil mihi curae cordique magis fuit, quam ut partium genitalium utriusque habitum attentata exploratione disquirerem — En quae repererim per explorationem: Genitalibus apprime relaxatis et muco albo repletis vix introduxi digiti indicis primam phalangem ubi statim in tumorem incidi renitentem, ressum, maioris vesicae aemulum, omne sacri ossis cauum replentem, et ita quidem ut inferiorem eius medianque partem inter et sacrum digitum circumferre, ulterius progredi vero non potuerim. — Huius in inferiori parte uteri orificium frustra quaesivi, idque non prius reperi quam postquam dextrae explorantis indicem ita direxerim ut dorsum symphisi pubis, volaris pars utero obuerteretur. Haerebat vero non tantum retro, sed et paulum supra symphysin pubis. Presso et retrosum acto parumper hoc ostio, prorupit copiose urina calens, rubra, mirum in modum lenata fuit aegra — Hisce de uteri retroversione certior factus; Symptomatum tunc causam agnoscens nil praeter urinae ope catheteris abstractionem hodie peregi. Liberam vnam vel alteram hac operatione e duxi, sequente die idem peregi, nil vero mutationis in utero exinde percipiens, proximo die, exploratione iterum facta praeter uteri habitum, pelvis summa mihi amplitudo confirmata fuit; curam sequenti ratione institui:

Aegra ita posita ut utriusque cubito et genu, capite demisso incumberet, natibus superiorem locum tenentibus, dextrae digitos ita genitalibus introduxi, ut vola uteri fundum, dorsum vero vaginae posteriolem parietem respiceret. Amplexa, quantum potui de eo capere, manus vola uterum, (manu in extensione posita,) vi eius sursum pellere molem conatus sum. Non statim vero cessit e loco suo uterus, licet antea urinam abstraxerim; saepiusque a repetitis conatibus desistere, licet in iis diu multumque sadauerim, propter angustiolem pelvis aperturam quam quae molis egressum permitteret facile, coactus fui.

Parumper tamen e loco suo cessit uterus, integerque cum sensu restitutionis, quem aegra percepit, rediit altero mane; ubi et orificium, antea pubis symphysi obuersum, inferiorem, quem a natura desti-

destinatum habet locum, necuperauerat. — Non diu post eximia prodiit vrinae sanguinolentae copia, et e partibus genitalibus effluxit liquor sanguinolentus, restitutus et statim postea est liber faecum exitus. — Abortui, quem eximescere fas erat, refrigerantibus et sedantibus propinatis obuiam iui, quietem in lecto, trunco re-supinato, suasi. Nullis tamen eius signis comparentibus, liberisque permanentibus viis antea plane obstructis, de quo non parum laetitiae aegrae accessit, instituto post actiduum a restitutione partium examine, omnibusque integerrime repertis, perfecte sanatam sorti suae reliqui; post mensem fere quatuor interuallum puerperam a partu felicissimo sanam vegetamque vna cum prole sua vidi. — Differt a reliquis notis obseruationibus 1) admodum serotina retrouersione accedente, ratione ad grauiditatis tempus habita, 2) defectu abortus, licet summa molimina in repositionem fuerint requisita.

CASVS 2.

Exhibet alteram obseruationem militaris femina, sexta vice grauida, trigessimam circiter aetatis annum agens. Per omnes reliquos partus et per grauiditates optime sese habuit; nunc vero eandem frequentes vrinae et alui suppressiones angunt. — Cathartica et hydragoga absque fructu in vsum vocata fuere; in dolorificam admodum incidit, cum valida febre saeuente, vrinae plenam retentionem. Post 24 ab hoc infautissimo rerum statu, horarum decursum, aegerrimam inuenio; vrinae libris saltem quatuor ruberrimae catheteris ministerio abstractis palliativae symptomata fugo. Sed mox redeunt cum noua eius accumulatione. Eo iam certior de vrinae suppressionis causa factus, digitum vaginae intromittens, vteri fundum, eximie pansum distentumque, retrouersionis nuncium habeo, eodem retro pubis symphisi actio, vbi vteri orificium vix attingendum sentio, mihi confirmatur. Sed 5tum iam et haec attigerat grauiditatis mensem, peluis quidem in inferiori parte ampla, superne vero angusta erat. Attamen antedicto modo repositionem tentavi; maiori et haec difficultate premebatur; tandem vero cessit


cessit et in hac quoque absque recidiua vlla mox ita in naturalem situm restitutus est, vt orificium inferiorem locum teneret. Euanuere cuncta symptomata, postque peractum solitum grauiditatis terminum filiolum enixa est aequae bona ac ipsius erat, sanitate fruente. Differt obseruatio: 1) Repositionis difficultate, 2) Symptomatum a retroersione infrequentiam vehementia, 3) sensus restitutionis defectu.


CASVS 3.

Tertius mihi casus Londini contigit; isque cum antecedentibus ratione symptomatum plane conuenit; cacterum vero, in eo differt, quod restituto iam plane cum symptomatum leuamine utero, iterum neglecta quiete a grauiditate minus mutato et volimine aucto, recruderit malum. Non tamen post alteram repositionem abortus superuenit, eademque fuit et huius, quae reliquarum fuerat, fausta fors.

CASVS 4.

Offert quartum retroersionis casum, dum haec scribimus, eadem de qua in secundo narratum fuit, femina. Vigesima circa ab inpraegnatione hebdomade, denuo vrinae suppressionem per horas fere duodecim patitur. Beneficii a duobus abhinc annis incantati collati et leuaminis subitanei memor, quam primum mali initium sensit, aliores ne radices ageret, restitutioni vteri se submitit. Successit et haec post quatuor circa vrinae limpidae librarum extractionem et situm reditui vteri aptum. Sexto a restituto vtero die, absque vlla molestia bene se habere ipsa testatur.





non habet locum, necuperauerat. — Non diu post eximia
 inae sanguinolentae copia, et e partibus genitalibus efflu-
 sanguinolentus, restitutus et statim postea est liber faecum
 — Abortui, quem eximescere fas erat, refrigerantibus
 bus propinatis obuiam iui, quietem in lecto, trunco re-
 suasi. Nullis tamen eius signis comparentibus, liberisque
 tribus viis antea plane obstructis, de quo non parum laetie
 accessit, instituto post actiduum a restitutione partium
 omnibusque integerrime repertis, perfecte sanatam forti
 iui; post mensem fere quatuor interuallum puerperam a-
 licissimo sanam vegetamque vna cum prole sua vidi. —
 reliquis notis obseruationibus 1) admodum ferotina re-
 ne accedente, ratione ad grauiditatis tempus habita,
 u abortus, licet summa molimina in repositionem fuerint

CASVS 2.

hibet alteram obseruationem militaris femina, sexta vice
 trigessimum circiter aetatis annum agens. Per omnes reli-
 tus et per grauiditates optime sese habuit; nunc vero
 frequentes vrinae et alui suppressiones angunt. — Ca-
 et hydragoga absque fructu in vsum vocata fuisse; in dolo-
 dum incidit, cum valida febre faeuente, vrinae ple-
 ntionem. Post 24 ab hoc infautissimo rerum statu, hora-
 rum, aegerrimam inuenio; vrinae libris saltem quatuor ru-
 catheteris ministerio abstractis palliarie symptomata fugo.
 redeunt cum noua eius accumulatione. Eo iam certior de
 ppressionis causa factus, digitum vaginae intromittens, vteri
 eximie partem distentumque, retrouersionis nuncium ha-
 dem retro pubis symphysis acto, vbi vteri orificium
 gendum sentio, mihi confirmatur. Sed 3 tum iam et haec
 grauiditatis mensem, peluis quidem in inferiori parte am-
 erne vero angusta erat. Attamen antedicto modo repositio-
 tau; maiori et haec difficultate premebatur; tandem vero
 cessit

F

cessit

